

Nam ut idem alio loco testatur: Lex domini est immaculata  
 conuertens animas: testimonium domini fidele, sapientiam  
 præstans paruulis. Ea est enim diuinæ legis præstantia, ut ani-  
 mos à praua consuetudine ad honestam viuendi rationem con-  
 uertat: & errantibus ac vagis hominibus viam ostendat ad glo-  
 riam immortalem consequendam. Hac ratione quondam du-  
 ctus, etsi videbam ingenii mei tarditatem, decreui tamen om-  
 nem meam curam & operam in diuinas literas conferre: & spe-  
 rabam, non esse intermittendam studiorum meorum continua-  
 tionem & perpetuitatem. Sed spem hanc mearum cogitatio-  
 num varii casus sefellerunt. Nam qui locus quietis & securi-  
 tatis plenissimus fore videbatur, in eo permultæ curæ & mole-  
 stiæ extiterunt, quæ me ab instituto meo retardarunt. Sed di-  
 uina ope effectum est, ut me ad pristina ac dulcia studia refer-  
 rem. Illis deditus explanavi Danielem diuinum vatem, qui  
 multis in locis prædixit fore, ut filius Dei ex cœli fastigio de-  
 scendens humanam assumeret naturam, essetque verus Deus,  
 & verus homo: sed Deus absconditus propter assumptam hu-  
 manitatem. Id intuens Esaias mentis oculis diuino lumine il-  
 lustratis, has ad illum voces emisit: Verè tu es Deus abscondi-  
 tus. Et alibi de illo loquens: Vocabitur, inquit, nomen eius,  
 admirabilis, consiliarius, Deus, fortis: vbi pro admirabile est  
 in Hebræo <sup>מְצֻיָּה</sup>, quod nomen vtrunque significat & abscondi-  
 tum, & admirabile. Quam ob causam graues authores aiunt,  
 posse etiam verti locum illum: Vocabitur nomen eius, ab-  
 sconditus. &c. Ac Habacuc significans nomine fortitudinis  
 diuinitatem. Ibi, inquit, abscondita est fortitudo eius. Et  
 Psal. 9. David in Psalmo nono: inscriptione: Pro occultis filii. Hoc  
 est, pro filio Dei abscondito. Id voluit diuus Paulus in Epi-  
 stola priore ad Corinthios significare, cum dixit: Loquimur  
 Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est. Hæc Dei sa-  
 pientia abscondita in mysterio, est Dei filius, Christus Iesus ve-  
 rus Deus, absconditus in humanitate. De illo idem Aposto-  
 lus interpretatus est verba illa: Ignoto Deo, quæ inuenit A-  
 thenis in ara quadam, ut proditum est memoriæ a diuo Luca  
 in Actis Apostolorum. Deus ille est dulcissimus Iesus, de quo  
 ait pater cœlestis apud diuinum Ioannem in Apocalypsi. Vin-  
 centi

Esai. 45.

Esai. 9.

Haba 3.

Psal. 9.

j. Cor. 2.

Act. 17.